

converti non possint. Certè etiam *Dannhauerus* in *Hodosophia* pag. 1422. observat, impossibilitatem pœnitentiæ in hujusmodi peccatoribus, de qua Paulus Ebr. VI. v. 4. seqq. agit, non esse impossibilitatem decreti peremptorii, seu impossibilitatem omnimodam, qua Deus decreverit, ejusmodi Apostatis nunquam dare salutarem pœnitentiam, ipsos judicio suo excœcatos & induratos relinquens; sed impossibilitatem vitii humani. Ex quo patet, *Dannhauerum* longè aliter sensisse, quam nunc nonnulli sentiunt, statuentes, peccatores in Spiritum Sanctum ob terminum gratiæ elapsum converti non posse, cum contra *Dannhauerus* hunc impossibilitatem pœnitentiæ non ex decreto peremptorio; sed ex humano vitio deducat. Idem *Dannhauerus* in eadem *Hodosophia* pag. 688. dicit, Christi victimam esse catholicam effectum, quia omnem fœtorem peccati in hac vita perpetrati absumit, ne finali quidem impœnitentia exclusa, terminatrice hujus seculi, non inchoatrice miserrimi ævi, quatenus illa adhuc in hac vita existit janua nondum clausa. Ex quibus verbis patet, quod *Dannhauerus* statuerit, januam gratiæ non prius claudi, quam finita hac mortali vita miserrimum impiorum ævum inchoatur, ideoque hominem, etiam in fine vitæ pœnitentem, ad gratiam pervenire posse, cum Christus etiam pro finali impœnitentia satisfecerit, non quidem, quatenus illa est inchoatrix miserrimi ævi, sed quatenus est vitæ hujus temporalis terminatrix. Ultimum enim *vov* incredulitatis *Dannhauerus* pag. 1497. in duo momenta distingvit, quorum unum ad hoc, alterum ad futurum seculum pertinet, & non quidem pro hoc, attamen pro illo utiqve satisfactum statuit. Conferantur, quæ *Meis-*
B 2
nerus